THEOLOGUMENORUM SOPHOCLEORUM PARTICULA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA, QUAM AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA ALBERTINA ORDINIS D. XVIII. MENS. DECEMBR. A. MDCCCLXV. PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS HEUBACH
PRUTENUS SAALFELDENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES AGENT:

ARTHURIUS LUDWICH, PH. DR. D.
CAROLUS MÖHRS, STUD. HIST.

REGIMONTI PR

TYPIS EXPRESSIT GRUBER ET LONGRIEN. (G. LONGRIEN.)

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

PROF. DR. L. FRIEDLÄNDER
PROF. DR. K. LEHRS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Multos adhuc in theologumenis sophocleis esse locos, de quibus non recte judicaretur ab iis, qui aut officio aut amore ducti in haec studia ferrentur, maxime propter novas rationes et animos non satis antiquarum rerum vel peritia vel reverentia imbutos, cum constare intellexissem, operae pretium videbatur rem cognitu dignissimam de integro pertractare et si quid rectius proferri posset, experiri. Non pauca autem absoluta atque expedita fuisse nec jam dubitare et seorsum sapere licuisse consentaneum est. Ita factum, ut nonnullas rationes turpiter neglectas in honorem restituere oporteret.

Quae cum ita sint, nimium erat et inutile totum opus aerumnarum plenum et multa continens, quae quamvis comperta essent doctis hominibus, integritatis causa addi deberent, proponere. Placebat igitur capita quaedam et locos maxime memorabiles, quibus nova lux allata esse videretur, eligere eaque notare, quibus explicandis imprimis peccatum esset. In quo negotio plurima ratio habenda erat Friderici Lübkeri et Francisci Petersii, quorum alterius commentatio inscribitur Die sophokleische Theologie und Ethik. Erste Hälfte (prodiit Kiliae a. 1851), alterius Theologumena sophoclea (Monasterii Guestphalorum a. 1845).

CAPUT PRIMUM.

De metonymico divinorum nominum usu.

In explicandis minorum deorum apud Sophoclem naturis non est sequenda ratio eorum, qui principium positum volunt in metonymiis et prosopopoeiam quandam inde ducendam esse contendunt, ita ut genuina illa germani dei notione elapsa divina vis in rerum natura sita, quam dyna-

micam potentiam (Lübker. p. 36) nominant, dei speciem per transformationem quandam induta poetae ingenio obrepsisse videatur. Quod quamquam in philosophorum ratione verum est (primus in orbe deos fecit timor), ad theologumena poetae, qualis est Sophocles, non magis aptum est quam si quis hegeliana dogmata ad vulgares opiniones redigere velit. Nam quod Plutarchus habet de audiendis poetis cap. VI. ταύτην δὲ τὴν διαίρεσιν καὶ τὴν διάκρισιν τῶν ὀνομάτων ἐν τοῖς μείζοσι καὶ σπουδαιοτέροις παραφυλάττοντες ἀπὸ τῶν θεῶν ἀρχώμεθα διδάσκειν τοὺς νέους, ὅτι χρῶνται τοῖς τῶν θεῶν ὀνόμασιν οἱ ποιηταί, ποτὲ μὲν αὐτῶν ἐκείνων ἐφαπτόμενοι τῇ ἐννοίᾳ, ποτὲ δὲ δυνάμεις τινάς, ὧν οἱ θεοὶ δοτῆρές εἰσι καὶ καθηγεμόνες, ὁμονύμως προςαγορεύοντες, ita in nostri poetae usum cadit, ut minorum deorum nomina in rerum ipsarum notiones abeant vel potius suam quisque rem in divinam speciem efferat. Nusquam tamen dei notio plane evanuit, sed cum in universum vera sint et in commune genus transferenda, quae de Marte Petersius dicit pag. 67: „Neque tamen Mars umquam ad solam nudam et corporea forma omnino carentem notionem revocatus est. Ubique personae partes agit apud Sophoclem, belli arbiter et calamitatis auctor“, contraria ratione qui utuntur, claudicantia omnia reddant nec umquam intellegere possint, quae optime se intellexisse magno ore profiteri audent, necesse est. Hoc ita esse jam in singulis demonstrabo. Ac primum quidem de Marte Lübkerus p. 35 (n. 25) ita judicat, ut ceteros comprehendat: „Haben die bisher besprochenen Gottheiten, inquit, eben durch ihre locale Bedeutung und ihren bestimmt modificirten Cultus eine persönlichere Fassung von selbst behauptet, so tritt dieses Alles bei den zunächst folgenden mehr in den Hintergrund, wenn auch eine gewisse Personification fast niemals denselben fehlt.“ Et de ipso deo caedis auctore p. 36: „Wir lassen zunächst den Ares folgen, das Princip des Streites, das rechte Gewirre und Getümmel in der Feldschlacht bezeichnend. Eine Erinnerung an die überlieferte Persönlichkeit ist in dem erzbepanzerten Enyalios (Aj. 179) noch vorhanden, der aber auch wohl (s. Wunder's Anm. z. d. St.) als eine vom Ares verschiedene Gottheit aufgefasst werden

muss. Dagegen ist unter den den Ares nennenden Stellen kaum eine einzige, die nicht im Epitheton wie im ganzen Zusammenhange abstract gefasst und von der brennenden Kriegswuth verstanden werden könnte." His verbis statim subjicio varia metonymiae exempla, ut et fines describam et faciles transitus indicem. Bellum significatur secundum Plutarchi l. l. testimonium J. F. 754. (Nauck.)

τυφλὸς γάρ, ὦ γυναῖκες, οὐδ' ὁρῶν Ἄρης
συὸς προσώπῳ πάντα τυρβάζει κακά.

de quo tamen paullulum dubitare licebit; Antig. 125 τοῖος ἀμφὶ νῶτ' ἐτάθη πάταγος Ἄρεος, ἀντιπάλῳ δυσχείρωμα δράκοντι [1]). In his prope ipsum deum agnoscas. Paullo remotiora sunt illa: Ajac. 1196 κεῖνος ἀνήρ, ὃς στυγερῶν ἔδειξεν ὅπλων Ἕλλασιν κοινὸν Ἄρη, cujus loci non probo explicationem hominis doctissimi: „wo das κοινός wohl am ehesten die unter einander mengende und Alles verwirrende Natur des Krieges bezeichnet, während bei den Römern, wo der Gedanke vorzugsweise auf die Entscheidung des Ausgangs gerichtet war, communis Mars (Liv. 8, 31) der unpartheiische, Allen gleiche Kriegsgott ist": vera enim ratio indicatur juxta posito nomine Ἕλλασιν: bellum omnes una Graecos horrendo exitio trucidans, et respiciendum est ad 1193 τὸν πολύκοινον Ἅιδαν; Oed. Col. 1045 τὸν χαλκοβόαν Ἄρη μίξουσιν. Tumultus pugnae Oed. Col. 1680 ὅτῳ μήτ' Ἄρης μήτε πόντος ἀντέκυρσεν. Longius abest a dei notione Ajac. 612 πρὶν δή ποτε θουρίῳ ἐγκρατοῦντ' ἐν Ἄρει [2]), quamquam et cognomen vulgatam dei imaginem revocat, ut Oed. Col. 1045, et auxilii honorisque a deo lati ratio perspicua est. — Electr. 1245 κἀν γυναιξὶν — Ἄρης ἔνεστιν [3]) (quasi quis nostrum dicat: Ares, des Krieges und Streites Gott, ist in ihnen mächtig), ut Oed. Col.

[1]) Cf. Antig. 123, quae sunt verba continuo praecedentia, στεφάνωμα πύργων πευκάενθ' Ἥφαιστον ἑλεῖν.

[2]) Cf. Homer. O. 127. — Peters. pag. 66: „adjuvante Marte superior est" (Ajax).

[3]) Recte de hoc loco Lübkerus: „Von dem Aeusserlichen und Gemeinsamen geht es aber auch in das Innere hinein; es ist der in der Brust lebende kriegerische Sinn —, doch gewiss überall in der beschränkten Haltung einer zum Blutvergiessen geneigten Sinnesart, die aber auch, wie hier, ausserhalb des Krieges etc. etc."

1065 δεινὸς ὁ προςχώρων Ἄρης, δεινὰ δὲ Θησειδᾶν ἀκμά. Inhonesta caedes Ajac. 254 πεφόβημαι λιθόλευστον Ἄρη ξυναλγεῖν μετὰ τοῦδε τυπείς, τὸν αἶσ' ἄπλατος ἴσχει [4]), quem locum bene illustrat ejd. fab. v. 706 ἔλυσεν αἰνὸν ἄχος ἀπ' ὀμμάτων Ἄρης. Propius accedit Antig. 952 οὔτ' ἄν νιν (fatalem vim) ὄλβος οὔτ' Ἄρης, οὐ πύργος ἐκφύγοιεν: neque eam divitiae neque Mars i. e. arma (Waffengewalt), non turris effugiant. Res animata est divinam quandam potestatem exercens. Oed. Col. 1680 appositum vocabulum πόντος optime declarat mediam naturam, cum tamen divinum nomen aliquanto plus ponderis habeat. Neque vero cetera carent ea vi, quae extra homines sita vel laborum vel mortis vel gloriae causa fit et ad ipsum deum pertinere videtur, ut vel auctorem esse vel magno gaudio ut de suo munere eum affici appareat.

Ceterum vero nescio, quid de absoluta dei specie severus censor desideret. Nonne enim cultus Thracum commemoratur Antig. 970 (ubi fortasse de templo prope Salmydessum sito cogitandum est)? [5]) Quem locum ut non recte interpretatus est [6]), ita paene neglexit Lübkerus. Nonne in parodo Oedipi Regis omnia nos cogunt, ut verum inter deos deum (cf. vs. 215 τὸν ἀπότιμον ἐν θεοῖς θεόν.), cujus species ex communi opinione et homerica poesi nata sit, animo nobis effingamus? Quin etiam et pugnae socius laudatur a senibus thebanis Antig. 139 ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις ἐπενώμα στυφελίζων μέγας Ἄρης δεξιόσειρος, et mali depulsor et a Trachiniis pro-

[4]) Ad hunc locum Petersins inutiliter, ne quid gravius dicam, pag. 67 not.: „vereor, ne cum Blomfieldio corrigendum sit ἀράν, propter locum plane similem“ (sic! nec plane similis est) „Aesch. Agam. 1616 δημορριφεῖς λευσίμους ἀράς.“ — Cogitandum est de pugna, qua numero inferiores resistere non possint et lapidibus obruantur. Vertendum est igitur: ich fürchtete schon den in Steinigung bestehenden Ares. — Cf. Gustav. Wolff. ad h l.

[5]) Cf. Electr. 95 ὅσα τὸν δύστηνον ἐμὸν θρηνῶ πατέρ', ὃν κατὰ μὲν βάρβαρον αἶαν φοίνιος Ἄρης οὐκ ἐξένισεν, μήτηρ δ' ἡμή etc. (vid. Meinekius ad Oed. Col. 1752).

[6]) Παρὰ δὲ κυανέων σπιλάδων διδύμας ἁλὸς ἀκταὶ Βοσπόριαι ἰδ' ὁ Θρηκῶν (ἄξενος?) Σαλμυδησσός, ἵν' ἀγχίπολις Ἄρης δισσοῖσι Φινεΐδαις εἶδεν ἀρατὸν ἕλκος: non est vertendum: „wo er die grausame Blendung der beiden Phineussöhne durch die Stiefmutter gesehen hat —“, sed: musste mit ansehen (cl. vs. 951 et 986), cum opem et salutem ferre non posset.

pter Herculis labores ad finem perductos (vs. 653) et a comitibus Ajacis per speciem in pacem restituti praedicatur (vs. 706), unde, si nihil aliud, id certe percipiendum est, non „dynamicam potentiam", sed verum deum Martem intellegi. Nec scio, quid sibi voluerit his verbis: „Dieselbe dynamische Potenz aber, dasselbe personificirte Wesen, das einer Sache den Ursprung gibt, kann ihr auch das Ende bereiten; tritt doch, sobald die Wirkung einer Sache aufhört, von selbst der entgegengesetzte Zustand ein. Wenn daher der beruhigte Ajas die Deianira von den mühevollen Tagen befreit —, oder wenn er dem Chore der salaminischen Schiffsgenossen den schweren Kummer von den Augen löst —, so ist daraus bei der Geläufigkeit dieser sprachlichen Erscheinungsform im Alterthume für die wirkliche Persönlichkeit des Gottes nichts abzuleiten." [7]) Nec satis recta sunt illa:

[7]) Si enim ex verbis ad intellegendum difficilioribus de abstrusa sententia suspicari et ea, quae similia in Sophocle esse videntur, sequi licet, aperte falsa sunt. Nam ut ejusdem rei partes oppositae inter se ac contrariae in unam speciem coeunt nec, cum altera sine altera esse non possit, tota res alterutra non comprehensa juste percipitur, ita et in universum dii rerum humanarum rectores utrumque quisque imperium sibi volunt attributum et Mars bellator recte tum demum existimabitur, cum idem pacis restituendae potens erit factus. Eadem igitur ratione, qua Jupiter cum Apolline, qui in omni voce edenda patris vicarius habetur, ut movere et excitare ita exstinguere vel prohibere rumores potest (Ajac. 186); Furiae piaculo suscepto placatae benevole amiceque sese gerunt et, ut tenebrae interitum ac tabem omnium rerum continent, ita ex profundo et recondito fructus surgunt et vis fecunda proficiscitur (Oed. Col.); solis deus, quidquid vult, tegit (Electr. 826) et iratus lucem et oculorum copiam detrahit (Phin. argum. ap. schol. Ap. Rhod. II, 178, Antig. 973, Asclepiad. in schol. Hom. μ 69, Oed. Col. 868); tempestatis ferociae et impeditae navigationi unus Aeolus malaciam succedere et aequum mare secundo vento inflatum adjuvare nautas jubet (Ajac. 674), hic deus non semper irascitur pugnasque movet ac discordias, sed et bello quod exarserat accensus praeclarae victoriae dono impertito Oechaliaque vehementi obsessione capta Herculem reduxit itaque Deianiram viduae molestiis liberatam et ex insatiabili desiderio in bonam fortunam ac felix matrimonium restitutam summa laetitia profundoque otio afficere visus est, et Ajace cum Atridis reconciliato, per speciem quidem et simulationem, a comitibus ut mutatae voluntatis auctor honorifica mentione praedicatus est, quippe qui regem aerumnae oblitum et Graecorum societati redditum ad commune bellum recipiendum incitavisset. — Ceterum de hac ancipiti vi, et positiva et negativa, ut nostrorum phi-

„Eher würde man dagegen eine andere Stelle in personificirender Fassung nehmen können, wo der im Kampfe drängende (στυφελίζων), mächtige, Sieg verleihende (δεξιόσειρος) Ares bald den Einen bald den Andern seine Gaben austheilt —.“ 8) Quid denique dicam de illo loco maxime insigni, qui est in Electra, vs. 1385? Aperte enim non incerti ac confusi quidquam, qualis est Lübkeri enarratio loci, qua veram rationem ac communem speciem aegre cognoscas, significatur, sed praeclara imagine, in qua praedicanda alio loco versabimur, ipse deus ejusque provincia adumbratur. Cf. ejd. fab. 1423 (vid. Lud. Kuster. ad Aristoph. av. 959. cl. Eur. Alc. 74, Verg. Aen. IV, 698).

Vulcano nullum Lübkerus in theologumenis suis locum concessit (quod non reprehenderem, si de Junone idem fecisset). Sed ne Petersio quidem plane assentiri possum hoc statuenti p. 70: „deum Sophocles ita in solam notionem ignis evanescentem fecit, ut, quamvis Ant. 123 Vulcanum poetice socium hostium dictum esse, qui taedis instructus Thebanis incendium paret, contendenti concesserim, certe ib. 1007 Vulcani nomine nihil significetur, nisi flamma effulgescens.“ Priore loco concessionem probo et de Marte initam rationem agnosco. Altero non vidit, usum nominis ortum esse ex elatiore orationis genere ad vaticinii sublimitatem accommodato, et eandem illam rationem recipiendam esse, quod ipse deus deorum numinis quasi interpres ac nuntius intellegatur. —

Musae divinae, quae dicitur Trach. 643

ὁ καλλιβόας τάχ᾽ ὑμῖν
αὐλὸς οὐκ ἀναρσίαν
ἀχῶν καναχὰν ἐπάνεισιν, ἀλλὰ θείας
ἀντίλυρον μούσας

neuter mentionem fecit. Tralatio autem et expedita est et proba, nec deest jucunda cantricis praeclaram deorum lau-

losophorum nominibus utar, cf. Cic. de nat. deor. II. §. 49. cum adnotatione F. G. Schömanni.

[8]) Non sic vertendum est, sed hoc modo, ut fecit Schneidewinus: „mit diesem aber lief es anders ab. — Anderes theilte Ares andern als Loos zu, wie er sonst ironisch Vertheiler von ξένια, d. h. τραύματα und φόνοι heisst —.“

dem per tibiam praeeuntis species. (Ceterum cf. Antig. 1134 ἀμβρότων ἐπέων.) Longe aliter et impeditius dictum est Verg. Buc. ecl. VIII. v. 1. „Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei" et v. 5. „Damonis Musam dicemus et Alphesiboei."

De Baccho nullum exemplum repperi, quale est apud Eurip. Cycl. 520. Meminisse enim debemus satyricam esse fabulam, cui aliquanto plus concessum sit quam tragoediae. Apud nostrum autem Bacchus in thebanis potissimum fabulis apparet, deperditarum, et tragoediarum et satyricorum dramatum, parum reliquum habemus. Quamquam in eo, non aliter quam in Neptuno, aliquid factum videmus, quo cum genuinarum notionum admoneamur, nomina, quae vera origine paullatim obscurata in inanem speciem et fortuitum sonum abierint, in proprias significationes resolvantur et suum quodque momentum recipiat. Bacchi quidem nomen non plane veriloquio caret et fere appellativi, quod dicunt, vice fungitur apud Sophoclem uno loco usurpatum: Oed. Reg. 211 τὸν χρυσομίτραν τε κικλήσκω, τᾶσδ' ἐπώνυμον γᾶς, οἰνῶπα Βάκχον εὔιον, Μαινάδων ὁμόστολον. Alterum enim Διόνυσος vere proprium, quod dicunt, nomen est (Oed. Col. 679. Antig. 957). Sed tamen, ubi bacchica natura notanda et accuratius describenda est, alia ratio adhibetur. In eadem fabula igitur vs. 1105 ὁ βακχεῖος θεός dicitur, eodem modo atque Antig. 154 Βάκχιος, Hydroph. fr. 608. ap. schol. Soph. Phil. 1199 Βακχᾶς, Oed. Col. 678 ὁ βακχιώτας Διόνυσος, Antig. 1122 Βακχεύς (Βακχεῦ, Βακχᾶν ματρόπολιν Θήβαν ναιετῶν). (Cf. verbum βακχεύειν Ant. 136). Et vero Neptunus Oed. Col. 1494 ἐνάλιος Ποσειδαώνιος θεός. De quo loco Petersius p. 53, not. 2: „Hanc Ποσειδαονίου θεοῦ insolentiorem appellationem jam veteres notarunt. v. Schol. Elmslejus contulit OT. 1105 ὁ Βακχεῖος θεός. Atque si hoc cum ratione dicitur, non potest etiam sine ratione Ποσειδῶν dici Ποσειδαόνιος θεός. Fortasse fr. 574 οὐδὲν γάρ ἐσμεν πλὴν Ποσειδῶν καὶ σκάφη, rem expediet, ubi fieri potest, ut Ποσειδῶν ipsum sit mare. Sed etiam nomen Ποσειδῶνος notionem, quam dicimus appellativam, continet: est ὁ ποτὶ δᾶν (Ποτειδᾶν· etiam Ποτιδαία antepenultimam producit), terrae adjacens, et ἐνάλιος Ποσειδαόνιος θεός est ἐνάλιος γαιάοχος θ.—" Quae etymologia quamquam mira

et inepta videtur (meliorem mythologi et grammatici praebebunt), ipsa ratio probabilis est. Neque hinc ullum momentum accedere potest opinioni eorum, qui locum corruptum esse suspicantur, cum quod praecedit adjectivum ἐνάλιος viam et transitum praemuniat.

Venerem et Cupidinem minus veros deos esse apud Sophoclem quam ceteros statuenti Lübkero vehementer obloquor. Nec enim alia horum deorum condicio est quam magnorum, quos dicunt, nisi quod pro naturae suae quadam indole notiones aliquantum declinari et in metonymicum usum ex impedito quodam ac difficili orationis genere ortum nec tamen umquam divina rei specie carentem traduci par est. (Cf. ἐν Ἄρει, τὸν χαλκοβόαν Ἄρη μίξουσιν, τὸν λιθόλευστον Ἄρη πεφόβημαι etc.) Quae igitur magna confidentia dicit pag. 35. (ap. nos p. 6), 37: „Die beiden eng verbundenen Wesen Aphrodite und Eros dürfen wir schon deswegen nicht von einander trennen, weil die von ihnen vertretenen Eigenschaften nothwendig in einander übergehen oder ganz mit einander verschmelzen." 38: „Ihr Wesen schwankt zwischen Abstraction und Persönlichkeit: nur O. C. 692 hat sie noch bestimmtere, locale Färbung: sie fährt mit goldenem Zügel und liebt den Boden Attika's, besonders Kolonos. Und in dieser Gestalt, aber auch nur in dieser, könnte sie wohl eine andere, nemlich die Bedeutung jener friedseligen Liebe haben, die allen Streit und alle Störungen eines versöhnten und zufriedenen Lebens hasst," ibidem (n. 27) de Cupidine: „Aehnlich in den Wirkungen, wenn auch bei aller dichterischen Kühnheit in abstracter Fassung ist der Eros", nec satis vera sunt nec ejus rei fidem facere possunt, cujus ille vult. Nam, ut prius de Venere dicam, et plures locos insignioresque tenet quam Colonum, quod apparet ex nominibus Κύπρις et Κυθέρεια, quamquam a vero nomine fere non differunt, Κύπρις autem etiam in metonymiam abit, et Aeneae mater dicitur in Laocoonte fr. 343 ap. Dionys. Hal. I., 48, p. 121, quod ad trojanam deam pertinet, et, ut certe in Crisi satyr. (fr. 333 ap. Athen. XV. p. 687 C.) in scenam intromissa personae, i. e. verae deae fabulis et vulgi opinionibus traditae

partes egit, ita verisimile est in Colchidibus ex suspicione Welckeri (gr. tr. I.) Quod vero alibi nec loci nec generis mentio fit, id quomodo honorem minuere videri possit, non video, cum aut latissime patens potestas totum mundum complectens describenda esset et inde singulorum amorum vis duceretur, aut exitiosum imperium vel summum periculum suavem enarrationem deterreret. Quae minime sensit nec perspexit Lübkerus. Omnia enim foede disjecta et certo ordine ac necessaria continuatione egentia apud eum videmus, ut et quid sit, frustra quaeras nec plena et absoluta species efficiatur. Et ne de colonea pompa quidem recte judicare videtur, qua praeclara imagine ad laudem atticae terrae praedicandam inventa nihil significatur nisi bonarum artium cum summa pulchritudine intima conjunctio antiquorum more et artificio repraesentata. Κύπρις autem praeposito pronomine interrogativo, quasi plures esse possint, delicias et stimulum pulchritudini insitum, qui blandiat intuentes et excitet ad facinora facienda divini spiritus plena, significare coepit J. F. 789. ap. Plut. vit. Timol. cap. 36: τῶν δὲ Τιμολέοντος, ἔργων— οὐδὲν ἔστιν, ᾧ μὴ τὰ τοῦ Σοφοκλέους, ὥς φησι Τίμαιος, ἐπιφωνεῖν ἔπρεπεν· ὦ θεοί, τίς ἄρα Κύπρις ἢ τίς ἵμερος (i. e. desiderium, quod illa gratia movetur) τοῦδε ξυνήψατο; Nec tanta mihi videtur varietas esse J. F. 856 ap. Stob. Flor. 63, 6. Cum enim exponantur ea, ad quae eximia pulchritudo animos humanos impellere possit quaeque consilia et quos sensus movere, effectus pro praedicatis, quae dicunt, ipsi deae nomini adjiciuntur paullulum a genuina notione deflexo et in communem speciem mutato (vid. vs. 8 τῆσδε τῆς θεοῦ, Antig. 800 ἄμαχος γὰρ ἐμπαίζει θεὸς Ἀφροδίτη, ubi θεός causam indicat). Cf. Peters. p. 68: „mater amorum potentissima est, quae quidquid animum tum excitat stimulatque, tum deprimit ac debilitat, complectitur sustinetque.“

Cupido cum in Trachiniis diserte deus dicatur vs. 355 Ἔρως δέ νιν μόνος θεῶν θέλξειεν αἰχμάσαι τάδε[9]) (=vs. 462 θεοῖσι δυσμαχοῦντες) (pugilis 442 et bellatoris Antig. 781 imago in

[9]) Cf. Schneidewin. ad h. l.: „Ausdrucksvoll“ Ἔρως μόνος θεῶν, während Lichas 251 Zeus den πράκτωρ aller jener Dinge nannte.“

Venere quoque adhibetur J. F. 856 v. 13 (cf. Aesch. Agam. 171, Lobeck. Aglaoph. I. pag. 353 [b]), ut victricis militis Trach. 497, et vero aptissima est), dubitet fortasse quispiam, idemne in Antigonae stasimo tertio intellegendus sit. Equidem ajo sine dubitatione. Nam strophae accurata interpretatio — antistrophae hic nihil interest — docebit, ea, quae difficiliora sint ad intellegendum, bene cadere in deum sic: nulli fines te prohibent et omnia aeque complecteris, vel, ut Wexius explicavit, „cum ante de magna vi amoris, qua suos constrictos teneret, locutus esset — nunc de tenaci ejusdem constantia loquitur, qua suos, quocunque se vertant, teneat: Cujus tu semel animum occupasti, eum tu consequeris, sive trans mare navigat sive in habitationes rusticanas concedit" (longe scilicet ab urbibus remotas et impedito itinere disjunctas)[10]), ut nullo modo liceat cogitare de ea amoris vi, quae est in Electra vs. 197 ἔρος ὁ κτείνας, generis autem et loci nescio cujus, quas res Lübkerus necessarias esse censet, mentionem hic cum inutilem fuisse tum ne potuisse quidem fieri in descriptione ejus, qui caelum et terram, homines deosque una imperio suo complectatur. Omnino et ii loci, quibus Cupido commemoratur, et ipsum tragicum genus parum apta sunt ad eas res enarrandas. Etenim tragicos apud Sophoclem homines eos potissimum colere deos videmus, quorum magna sit vis averrunca quorumque auxilio magna bona aut percepisse aut percepturi esse sibi videantur. Cupido autem inimicitias movet et invitos in exitium trahit fatali necessitate ingratis gratiis perfusos, ut Marti quodammodo similis appareat. Ceterum Antig. vs. 782 ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις et 787 καί σ' οὔτ' ἀθανάτων φύξιμος οὐδεὶς οὔθ' ἁμερίων σέ γ' ἀνθρώπων, cl. Trach. 443 (Ἔρωτι μέν νυν ὅστις ἀντανίσταται πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας, οὐ καλῶς φρονεῖ.) οὗτος γὰρ ἄρχει καὶ θεῶν ὅπως θέλει etc., Phaedr. fr. 607 (Dindorf. = Eur. Hippolyt. fr. 434. Nauck). ap. Stob. Flor. 63, 25: Ἔρως γὰρ ἄνδρας οὐ μόνους ἐπέρχεται

[10]) Peters l. l.: „Ubivis vagatur: agros visitat, mare pererrat — qua quidem re poeta Amorem et potentissimum, qui domet, quidquid inveniat ubicunque terrarum, et vero audacissimum designat, quem multa ac varia undarum pericula minime deterreant (coll. Ant. 334—37)."

οὐδ' αὖ γυναῖκας, ἀλλὰ καὶ θεῶν ἄνω ψυχὰς ταράσσει, κἀπὶ πόντον ἔρχεται. καὶ τόνδ' ἀπείργειν οὐδ' ὁ παγκρατὴς σθένει Ζεύς, ἀλλ' ὑπείκει καὶ θέλων ἐγκλίνεται, potentissimi domini imaginem referunt (ad vocabulum κτήμασι (i. e. „qui tibi sunt mancipati," ut interpretatus est Reisigius in enarr. Oed. Col, p. LXIX) recte intellegendum cf. J. F. 691 ap. Athen. VII. p. 277 B, quod de Amphitrita dictum videtur, χορὸς δὲ μυνδῶν ἰχθύων ἐπερρόθει, σαίνουσιν οὐραίοισι τὴν κεκτημένην.) et vere triumphatoris (cf. poet. ap. Lactant. I., 11, Preller, griech. Mythol. (ed. II.) I. pag. 396.)

Ad hunc finem disputatione perducta si quis mihi nondum plane fidem tribuat et Lübkeri speciosis verbis et novis rationibus pellectus interim aliquid dubitandum esse censeat, jam spero fore, ut ultra resistere non possit et in meas partes transeat. Nam quidquid adhuc verisimilitudinis obtinuit, detrahetur, temeritas et injuria patefiet, ex una re communis ratio illustrabitur, omnibus denique ut mihi ipsi de mea sententia persuasum erit. Quid enim absurdius esse potest, quid audacius, quid a fide grammatica magis abhorret, quam qua ratione Lübkerus Furiarum apud Sophoclem naturam definivit et enarravit. Etenim homo doctissimus praejudicata sententia ordine inverso ab animi affectibus ad deos inde factos progreditur et a figurata dictione ad veram ascendit, quod in Furiis, quas vere deas esse et antiquitus instituta religione ac caerimonia coli nemo negare possit, perversissimum esse apparet. („Es ist im Wesentlichen, inquit p. 61 (n. 45), die Macht des strafenden Gewissens, welche in dem zwischen Eigenschaft und Persönlichkeit schwankenden Wesen der Erinyen ihren Ausdruck gefunden hat.") Neque singularis numeri rationem perspexit. Interdum enim, non pro una plures Furiae, quod Lübkerus voluit nec quisquam alius intellegere potest, sed, ut una est Iustitia, ita una esse dicitur Furia, cum natura earum, quae in pluribus melius constare solet ad commode et insequendos et comprehendendos parricidas[11]), in unam quasi totius generis personam indutam aut aequalitatis

[11]) De numero Furiarum cf. schol. Oed. Col. 42, Reisig l. l. pag. XXXI, Lobeck. Agl. p. 81 (h), Welcker. Griech. Götterl. III. p. 76, 78,

causa: Ajac. 1389 τοιγάρ σφ' Ὀλύμπου τοῦδ' ὁ πρεσβεύων πατὴρ μνήμων τ' Ἐρινὺς καὶ τελεσφόρος Δίκη κακοὺς κακῶς φθείρειαν. 1034 ἆρ' οὐκ Ἐρινὺς τοῦτ' ἐχάλκευσεν ξίφος κἀκεῖνον Ἅιδης δημιουργὸς ἄγριος; Trach. 809 ὧν σε ποίνιμος Δίκη τίσαιτ' Ἐρινύς τ'. Electr. 491, ubi opponitur eidem Iustitiae (476), ἥξει καὶ πολύπους καὶ πολύχειρ ἁ δεινοῖς κρυπτομένα λόχοις χαλκόπους Ἐρινύς (ubi generis notio clarissime apparet significata Furiarum multitudine per attributa πολύπους et πολύχειρ, quasi quis nostrum dicat: der Rachegeist mit vieler Hände Kraft und vieler Füsse Schnelligkeit; perperam igitur schol. rec.: πολύπους· πολλὰ διερχομένη· πολύχειρ· πολλὰ ἐργαζομένη. cf. Wunder annot.[12])[13]), aut tralata notione in vindictam atque ultionem a diis immittendam: Electr. 276 ἡ δ' ὧδε τλήμων ὥστε τῷ μιάστορι ξύνεστ', Ἐρινὺν οὔτιν' ἐκφοβουμένη. (ubi perapte Wolffius: „οὔτινα, weil hier mehrere Frevel zusammentrafen, deren jeder seine Rachegöttin hatte," quamquam non tam de ipsis Furiis, quas nominare oportebat, quam de divino supplicio plurium scelerum per Furiarum manus perficiendo cogitandum est) vel immissam transformetur: Trach. 895, ubi post auditam Deianirae caedem chorus de Jola dicit: ἔτεκεν ἔτεκεν μεγάλαν ἁ νέορτος ἅδε νύμφα δόμοις τοῖσδ' Ἐρινύν, quae in eo cernitur, quod Deianira, ubi primum Herculem, quem fatum erat obire necis ulciscendae causa, necessitate per ipsius fraudem constituta, (cf. vs. 1163) interemisset, invita quidem et nescia, amoris furore occaecata et recuperandi mariti cupidissima, aequum luerit supplicium (cf. vs. 932—935)[14]); Oed. Col. 1298 (ubi significatur

[12]) Ut rideamus vel irascamur, pro sua quisque natura aut ferociore aut mitiore, ascribam Lübkeri de hoc loco sententiam: „Diesem gemäss erscheint ihr ganzes Wesen. Vielfüssig und vielhändig, in schrecklichem Hinterhalte verborgen tritt die erzfüssige Erinys auf —; das plötzliche überraschende, die Seele von allen Seiten umklammernde Wesen einer erwachenden Gewissensangst ist damit gut gezeichnet."

[13]) Non confido certi aliquid affirmare de loco non integro Teucr. fr. 516 ap. Stob. Flor. 122, 10. v. 4 ἡ δ' ἄρ' ἐν σκότῳ λαθοῦσά με ἔσαιν' Ἐρινὺς ἡδοναῖς ἐψευσμένον, nec scire possum, quo jure hic constet singularis numerus.

[14]) Quod igitur compararunt ejd. fab. 842 ὧν ἅδ' ἁ τλάμων ἄοκνον μεγάλαν προσορῶσα δόμοισι βλάβαν νέων ἀίσσουσαν γάμων, speciem quandam notionis quamquam habet, tamen ne illud quidem simile est, quod sequitur, ἅδ' ἐρχομένα μοῖρα προφαίνει δολίαν καὶ

pernicies, qua correptus est Oedipus, correpti sunt Oedipi filii, vel malus genius in gentem Labdacidarum grassans et sontissimum quemque tollens; cf. vs. 369, 421, 788, 964, quos locos Schneidewinus confert) ὧν ἐγὼ μάλιστα μὲν τὴν σὴν Ἐρινὺν αἰτίαν εἶναι λέγω[15]); Antig. 603 κατ' αὖ νιν φοινία θεῶν τῶν νερτέρων ἀμᾷ κοπίς, λόγου τ' ἄνοια καὶ φρενῶν ἐρινύς, de quo loco Lobeckius ad Ajac. (ed. II.) pag. 103: „φρενῶν ἐριννύς — vocatur illa amentia, quae Oedipi familiam parricidio funestatam in perniciem agebat." [16]) Si vero in

μεγάλαν ἄταν (germanice „Schlag"), cum alterum (Ἐρινύς) ex eo oriatur („Rückschlag").

[15]) Pluralis numerus jure adhibetur ejd. fab. 1434 ἀλλ' ἐμοὶ μὲν ἥδ' ὁδὸς ἔσται μέλουσα δύσποτμός τε καὶ κακὴ πρὸς τοῦδε πατρὸς τῶν τε τοῦδ' Ἐρινύων, cum deae ipsae ad ipsum Oedipum aptius adjungantur quam communis notio, natura autem eadem maneat nec multum immutetur sententia.

[16]) Non potest probari scholiastes sic explicans: ἁμαρτία. ὅτι οἰστρηθεῖσα ὑπὸ τῶν Ἐρινύων Ἀντιγόνη τοῦτο τετόλμηκε. neque Schneidewinus similia argutans et diversa miscens: „diese (scil. φρ. ἐρ. „des Sinns Verblendung"), weil in Folge angeborner ἄτη (379 δύστηνος καὶ δυστήνου πατρός) Antigones ruhige Erwägung vor der That verdunkelt war. Aber zugleich deutet beides versteckt auf Kreons leidenschaftliche Unbesonnenheit, womit er gegen Pol. auftritt und Ant. straft." Neque enim possum intellegere, quo jure id quod salva mente et clarissima officii, quod diserte (cf. Oed. Col. 1435) mandatum erat, colendi conscientia factum est, praesertim cum ad humandum Polynicem multum cauto et provido animo opus fuerit, caeca mente nec satis considerate factum esse etiam a choro dicatur. Nam quisquis furiali potestati obnoxius est, justa ultione ac poena delicti commissi (i. e. inhumati Polynicis et interficiendae Antigonae, aperte enim Creo notatur et hoc loco et sequenti carminis parte, Antigona autem altero illo λόγου τ' ἄνοια) afficiunt: ἕρπει παραλλὰξ ταῦτα. Omnino in his quaestionibus imprimis oportet varias res maxima subtilitate distinguere, ne vana specie inducti ea pro veris affirmare conemur, quae tota rerum serie ac perpetuitate diligenter perpensa et exacta ad certasque leges constituta aliter se habere reperimus. — Nec non Lübkerus Creontem dicere videtur: „Den über den letzten Stamm in Oedipus Hause ausgebreiteten Hoffnungsstrahl" (imo ipsam ἐσχάταν ῥίζαν) „vernichtet die blutige Sichel der unterirdischen Götter und der Unverstand der Rede und die Bethörung der Sinne. Es ist damit offenbar ein Wesen bezeichnet, das der homerischen Ate sehr nahe kommt; es ist das jene in bitterer Wahrheit am natürlichen Menschen aller Zeiten uns entgegentretende Erscheinung, dass das mahnende und strafende Gewissen, anstatt in die Reue und die Besserung hineinzutreiben, zu neuer Schuld, zu neuen Ausbrüchen der Leidenschaft verführt. Es ist also die innerste Natur der Sünde,

Furiis immanem furorem tantum et diram caedem spectamus nec justam tantae saevitiae causam respicimus, notio earum in diram caedem et seclestos homines abit, quod apud Sophoclem semel factum videmus El. 1080 πρόδοτος δὲ μόνα σαλεύει Ἠλέκτρα τὸν ἀεὶ πατρὸς δειλαία στενάχουσ᾽, ὅπως ά πάνδυρτος ἀηδών, οὔτε τι τοῦ θανεῖν προμηθής, τό τε μὴ βλέπειν ἑτοίμα διδύμαν ἑλοῦσ᾽ Ἐρινύν[17]. Similiter de malignitate earum et insidiis fraudeque queritur senex Telamo amisso bonae spei filio (Welcker gr. tr. I. pag. 194): ὡς ἄρ᾽, ὦ τέκνον, κενὴν ἐτερπόμην σου τέρψιν εὐλογουμένου ὡς ζῶντος· ἡ δ᾽ ἄρ᾽ ἐν σκότῳ λαθοῦσά με ἔσαιν᾽ Ἐρινὺς ἡδοναῖς ἐψευσμένον[18].

Postquam igitur demonstravi, id, a quo Lübkerus enarrandi principium sumpsit, ad finem disputationis referendum fuisse, etiam hoc patet, non in animo et conscientia ipsorum hominum naturam earum contineri, id quod cum perversa ista ratione cognatum est nec, ad singulos locos adhibitum, probatur, sed et hominibus contrariam vim et extra ac praeter humanam naturam sitam esse antiquorum more in germanarum dearum personas redactam, nec aliunde profectam rationem ad verum finem pervenire posse. Nam insulsissima sunt haec: „Das Wesen der Erinys — wird beim Dichter folgendermassen dargestellt. Wenn Elektra ihre Mutter durch das Zusammenleben mit einem Fluchbeladenen (μιάστωρ) so versunken findet, dass sie vor keiner Erinys erschrecke, — so ist damit offenbar die strafende Gewissensregung gemeint.“ Imo haec verba duo gravissima

die sich darin spiegelt, mit der ganzen Furchtbarkeit ihrer Gewalt und mit dem finstern Einfluss ihrer tief dämonischen Art.“ Quamquam ne haec quidem vera sunt, sed altius repetita, nedum accurate dicta.

[17]) Ad hunc usum illustrandum aptissima affert exempla Wolffius Eurip. Med. 1258 ἀλλά νιν, ὦ φάος διογενές, κάτειργε κατάπαυσον, ἔξελ᾽ οἴκων φοινίαν τάλαινάν τ᾽ Ἐρινὺν ὑπ᾽ ἀλαστόρων. et Ennii Alex. 7, 56 (Ribbeck.) „Lacedaemonia mulier, Furiarum una adveniet.“ et Schneidewinus Aeschyl. Agam. 749 νυμφόκλαυτος Ἐρινύς (scil. eadem Helena ut Eurip. Or. 1389 ξεστῶν περγάμων Ἀπολλωνίων Ἐρινύν, cf. Wunder.). — Apertum est autem, poetam non potuisse hoc loco plurali uti numero, qui semper ipsas deas significet.

[18]) Eandem imaginem refert in alia ratione Electr. 490.

vitia continent. Primum: enuntiatum per particulam ἀλλὰ appositum docet, hanc esse sententiam: cum homine isto societatem iniit nullam deorum vindictam metuens, sed quasi illudens facinoribus ludos instituit et sacra facit diis σωτηρίοις itaque sperat impunitam sese futuram esse[19]. Quam enim mala oppositio esset: nullo conscientiae cruciatu exterretur, i. e. summam animi tranquillitatem servavit, sed diis gratam se reddere studet, ut inulta maneat, quasi metus cum tranquillo animo constare posset. Tum ἐκφοβουμένη non debebat verti „erschrickt," sed fürchtet, cum singuli terrores aoristum tempus sibi poscerent, praesens autem de perpetuo metu dicatur. Et vero μιάστορος societas iram poenamque deorum per Furias exsequendam cessantem quasi in se vocare videbatur, quae poena in fine hujus orationis apertius indicatur, nec in eo malitia cernitur, quod conscientia non terretur, sed quod conscientiam malis artibus permulcere et comprimere conatur, quod frustra fieri apparet, simulac de Oresta, qui καθαρτὴς πρὸς θεῶν ὡρμημένος dicitur, nuntius allatus est. — Quae deinde sequuntur: „Dieselbe (scil. die strafende Gewissensregung) muss aber nothwendig in folgerechter Fortbildung zum Vorwurfe, zum Fluche werden, und man darf sich demnächst nicht wundern, wenn es das, was es für sich selber ist, bald auch im Sprachgebrauche absolut und objectiv wird. So erscheint es als ein fluchwürdiges Wesen (furia, scelus) El. 1063 (wozu Wunder ein Paar Beispiele aus andern Tragikern anführt) und in der von Wunder als unecht angezweifelten Stelle Trach. 881", nec ego probare possum nec, spero, quisquam alius. Trachiniarum autem locum minime intellexit. Qui enim in eo idem cognoscere possit quod Elect. 1080, equidem non video.[20]

[19]) Schneidewinus recte ad h. l.: „Die allmonatliche Feier des Tages verräth Klytaemnestras Sorge, ihre Gewissensangst zu beschwichtigen und die Götter zu versöhnen." Etenim conscientia compressa vanas spes alit.

[20]) Cetera omnia distorta sunt nec in unam et absolutam imaginem coeunt. Ne illud quidem verum est, in quo naturae et muneris earum summam contineri voluit: „Es giebt ausserdem ein so innerliches Gebiet des Rechts, das von keiner äussern Macht und Wirkung getroffen

Mirifice denique Lübkerus hariolatur de Plutone, cujus naturam minime intellexisse videtur. Quae enim p. 29 dicit:

werden kann, die Gesinnung und die Absicht, weshalb auch schon in homerischer Anschauung der Meineid, die Verletzung der Kindespflicht, der Gastfreundschaft u. s. w. der Rache der Erinyen verfielen. Grade für diese auch ist die Erinys als Wächterin bestellt." Nam quamquam alia quoque flagitia, quae ipsa summa supplicia sibi poscunt, ad earum potestatem ac jurisdictionem referuntur, numquam tamen a sua ratione recedere et naturae suae infernae dissimiles fieri videntur (genitae sunt Gaea matre et Scoto patre, qui per προσωποποιίας σχῆμα caliginem inferorum significans Oed. Col. 106 ἀρχαῖος dicitur, ut generis vetus nobilitas ac praestantia indicetur in mundi principiis positi; similiter Thanatos Gaea et Tartaro ortus dicitur, in quo nescio an Tartarus ita differat a Scoti notione, ut mortuorum sedem significet, Scotus autem ipsam caliginem solis luci et humanae vitae contrariam), et semper talis est causa, ut adjunctam habeat injustam necem, quae ad alteram rem adipiscendam parata sit et principalem et culpae et supplicii causam habeat ac notam quandam ferat. Nec alia ratione vera sunt, quae Nägelsbachius nachhomerische Theologie pag. 348 dicit: „Somit hat sich ihr Wirkungskreis erweitert (scil. apud nostrum poetam): sie rächen nicht mehr bloss die Frevel wider die alte Naturordnung, sondern strafen auch, wer gegen Zeus' Weltordnung sündigt." (velut El. 276, 492 sqq. adulteros). Ne Petersius quidem veram Furiarum naturam perspexit (pag. 26—28, cf. 25 sq.), cujus tota de hac re enarratio claudicat nec ullius momenti est ad rem recte judicandam. Nam quod in commune sub fine adnotat contra Lobeckium, qui verum sentiebat: „Nam quod Lobeckius" (scilicet ad Ajac. v. 60; diversa enim agit in Aglaoph. pag. 1100) „Furiis locum esse negans, nisi quis caede se obstrinxerit, Ἐρινὺν Ant. 603, quo loco Erfurdtius lectionem Scholiastae defendi monuerat, ad parricidium ab Oedipo patratum refert: Furiarum munus apud Sophoclem latius patere, quam ut solum caedis ultrices sint, multis locis, quos attuli, probatur (Ant. 1074. Aj. 1390. O. C. 1010. 1391.) v. Klausen p. 50. not. 60." („Theologumena Aeschyli tragici. Berol. 1829." dicit; erravit autem Klausenius non minus quam Petersius): ea sic, ut cogitata et dicta sunt, praecipitis judicii mihi videntur. Quid est enim? Num Clytaemnestra si solum adulterium, ipsum quidem grave facinus, commisisset, tanta peccatrix et tanta ipsius filii ultione digna fuisset habita? (cf. Electr. 123—128), ne dicam, alterum crimen sine altero non potuisse fieri. An Oedipi stuprum in matrem patratum, quamvis horrendum sit et naturales leges miro modo convertat, par est ei furori, in quem proruunt Oedipus et Jocasta ad luendum princeps Laii occisi delictum, quod contineret cetera omnia? Quos autem locos Petersins affert, ut suam rationem probet, Oed. Col. 1010 afferre non est nisi mente occaecati; Antig. 1074, Ajac. 1390, Oed. Col. 1391 luculenter reprobantur ejusdem Antigonae 1029 ἀλλ' εἶκε τῷ θανόντι μηδ' ὀλωλότα κέντει· τίς ἀλκὴ τὸν θανόντ' ἐπικτανεῖν; et Oedipi 1361 ἕωσπερ ἂν ζῶ, σοῦ φονέως μεμνημένος et 1366 εἰ δ' ἐξέφυσα τάσδε μὴ ἐμαυτῷ

„Er ist furchtbar, gerade weil dem Hades gegenüber, im Tode sich des Menschen Ohnmacht und Nichtigkeit zeigt; darum wird er auch, Aj. 1008, als der δημιουργὸς ἄγριος bezeichnet, der den vom Ajas geschenkten Gürtel verfertigt hat, womit Hektor an den Wagenrändern festgebunden immer umhergeschleift ward, bis er sein Leben aushauchte. Ueberhaupt erscheint er so lange und so weit furchtbar, als er in wirklicher Personification festgehalten wurde, und in diesem Bereiche ist er zugleich den obern Göttern verwandt (Διὸς αὐθαίμων —), und von allen Attributen der Schreckensgewalt umgeben. Nach dieser Seite hin ist er

τροφοὺς τὰς παῖδας, ἢ τἂν οὐκ ἂν ἢ τὸ σὸν μέρος. Ingratus igitur animus et horrenda impietas aeque ac neglectus mortuorum honos ipsius caedis nomine apellatur per improprium quoddam et commotionis plenum orationis genus vel, ut nostrorum grammaticorum more dicam, per praegnantiam. Quod ipsum, si ita dicere licet, sophisma atque artificium ipsius Sophoclis de Furiarum muneris ratione sententiam optime declarat. (Cf. Reisig. ad O. C. vs. 1361; Oed. Reg. 534.) Quamquam ea exsecratio, qua Teucrus, qui Ajacis quasi alteram personam emendatam agit, Atridas devovet, tantum abest, ut alium supplicii sumendi fontem habeat quam illa, qua Ajax voluntariam occubiturus mortem Furias adjutrices et vindices vocat, cum veros interfectores sui Atridas cum comitibus et sociis imprimisque Ulixem habeat, quippe qui in interitum sese compulerint nec quidquam reliqui fecerint, ut caedes vi illata et invita (cf. vs. 856 sqq.) esse videatur; ut quasi supplementum prioris exsecrationis sit, cum hanc mortui et non tecti injuriam insidiae illae jam habuerint et necessaria condicione attulerint, nec novam cieat poenam, sed eos distinguat et puniendos denotet, qui summa inhumanitate et impio odio veros et capitales inimicos sese praebuerint. — Ne Oedipus quidem parricida, quamquam inter vivos servatus est, Furiarum ultionem effugit, qui in noctem letalem projectus et sanguine effuso ad caedem compensandam expiatus sit et tum demum a placatis Furiis benigne receptus. Accedit, quod jam inde hoc efficere licuit, quod Furiae in munere suo exsequendo id maxime spectant, ut par pari referant (cf. Electr. 36, Lübker l. l. pag. 59) itaque ratio earum justissima est, qualis dei judaici, ut capitales poenas capitalibus criminibus reddi appareat. Cum igitur Pluto cingulum Hectoris fabricatus esset, quo πρισθεὶς ἱππικῶν ἐξ ἀντύγων ἔκναπτεν αἰέν, ἔστ᾽ ἀπέψυξεν βίον Ajac. 1031, Furia ensem procudit, quo ille Ajacem remuneratus est, dignam gratiam referentem 1034. Item Herculis pestiferam illam vestem Furiae texuerunt Trach. 1051. cf. 1162. — Sic caedes caedem poscit, quacunque ratione e re ipsa nata evenit. — (Cf. Ajac. 840, Antig. 1076. (Phil. 959. — Ajac. 522, Oed. Col. 779.) Oed. Reg. 100, 106, 127, 134. (cf. Phil. 1114, 1119.) Trach. 1040. J. F. 673 in An. Bekk. p. 362, 22). Haec hactenus.

unerbittlich". quasi in ulla alia re non sit inexorabilis „Aber auch hier war es so wenig dem Zeitalter des Dichters als ihm selbst möglich, die persönliche Fassung in voller Schärfe festzuhalten. Sobald diese entweicht, tritt der Tod in seiner doppelten Gestalt, in seiner furchtbaren, wie in seiner freundlich milden, dem Menschen entgegen." nego posse aut intellegi aut, si possent, probari. Nam in eodem contextu leguntur, quae statutam vel potius commenticiam et perversam rationem plane tollunt: continua sunt illis verbis: „den obern Göttern verwandt (Διὸς αὐθαίμων, Tr. 1020, obwohl gerade dort γλυκὺς Ἅιδας daneben, wovon weiter unten") i. e. p. 30: „So darf denn auch Herakles (Tr. 1019) den Hades Bruder des Zeus, γλυκὺς anreden, weil er ihn um die Gunst eines schnellen Todes für sein elendes Leben bittet; er ruft ihn noch einmal später an: ὦναξ Ἅιδη, δέξαι με (1065)." Nominum divinorum translationes aliunde proficiscuntur quam a terrore et metu depellendo. Quae enim addit: „Dies ist aber nur da möglich, wo der Gedanke einer Sühne zur Geltung gekommen ist, die alle Mühe und Arbeit des Lebens, wenn nicht anders, so durch den Tod endigt," sano sensu carent. Res autem sic se habet: Primum ipse deus significatur multis modis, e. g. ἐν Ἅιδου, ἐς Ἅιδου, ἐξ Ἅιδου, παρ' Ἅιδᾳ. Huc pertinet etiam illud, quod legitur Ajac. 635 κρέσσων γὰρ Ἅιδᾳ κεύθων[21]). Πρὸς Ἅιδην Oed. Col. 1460, παρ' Ἅιδαν ibid. 1552, ἀνύσειν τὸν ἀπότροπον — Ἅιδαν Ajac. 608, Ἀίδαν καταβήσει Antig. 822; Ἅιδα φεῦξιν Antig. 361 etc. Transfertur autem in mortis notionem, cum mortem quasi exhibeat et inferat mortalibus: Oed. Col. 1221 Ἄιδος μοῖρα (cf. vs. seq. θάνατος ἐς τελευτάν, ibid. 1440 καὶ τίς ἄν σ' ὁρμώμενον εἰς προῦπτον Ἅιδην οὐ καταστένοι —; Antig. 580 ὅταν πέλας ἤδη τὸν Ἅιδην εἰσορῶσι τοῦ βίου., ibid. 1205 λιθόστρωτον κόρης νυμφεῖον Ἅιδου κοῖλον[22]), J. F. 856 ap. Stob. Flor. 63, 6 v. 3 ἔστιν μὲν Ἅιδης

[21]) Satisfacit Schneidewini explicatio: „nicht im Hades, sondern dem Hades verfallen, wie 970 θεοῖς τέθνηκεν," nec opus est emendatione Petri Elmsleji παρ' Ἅιδᾳ, quod haud inscite defendit Petersius pag. 49, a. 2. Sed Lobeckius plane eam rationem sustulit.

[22]) Quo loco nolo conferri vs. 816, ut fecit Samuel Musgravius, quasi planesimilis sit locus, sed νυμφεῖον Ἅιδου arcte conjungi opor-

(scil. Κύπρις), ἔστι δ' ἄφθιτος βίος, (nolo huc relatum J. F. 776 ap. Plut. Mor. pag. 745 F. (Quaest. convival. IX. 14, 6) Φόρκου κόρας, θροοῦντε τοὺς Ἅιδου νόμους)[23]). Cum notione dei saevi Creo ad custodem corporis inhumati Antig. 308 οὐχ ὑμῖν Ἅιδης μοῦνος ἀρκέσει. Deinde transitus ad loci notionem facilis et expeditus paratur — ipsius enim dei notio non plane evanuit et in nomine apparet — nec revera hanc notionem manifestam exstare negari potest, ut factum esse videtur ab Ellendtio: Ajac. 1193 αἰθέρα δῦναι μέγαν ἢ τὸν πολύκοινον Ἅιδαν. De ejusdem fabulae vs. 517 aliquando dubitavi, utrum deus an locus diceretur: καὶ μητέρ' ἄλλη μοῖρα τὸν φύσαντά τε καθεῖλεν Ἅιδου θανασίμους οἰκήτορας. Nunc certum mihi videtur, Plutonem ipsum intellegendum esse, quod mors quasi pactio sit et lex locationis inter dominum domus et habitatores statuta. Cf. vs. 397. Eadem res est Trach. 282 et 1161 (ἐν Ἅιδου δόμοις Antig. 1241). — Locus autem sine dubio significatur J. F. 748 ap. Plut. Mor. p. 17 C. (De audiendis poetis c. II.) στενωπὸς Ἅιδου καὶ παλίρροια βυθοῦ.

Tum quod ipsum deum omnino invisum et terribilem fuisse dicit, id indictum velim. Aperte enim falsum est.

tet tamquam in unum vocabulum, quod referatur ad κόρης (absurde Triclinius: τὸ νυμφεῖον πρὸς τὸ κόρης, τὸ δὲ κόρης πρὸς τὸ Ἅιδου — αὐτὴ δὲ τοῦ Ἅιδου. θάνατος γὰρ αὐτὴν ἐνταῦθα κατείληφε καὶ οἱονεὶ ὁ Ἅιδης αὐτὴν ἐνυμφεύσατο. Imo Ἀχέροντι νυμφεύσω, Antigona inquit), ut pro nuptiis mors ei accidisse dicatur.

[23]) Carmina haec Plutonis (non jura, ut interpretatus est quidam in editione Plutarchi didotiona parisiensi. 1841.) tetigit Ludolphus Dissenius ad Pind. Nem. X, 67 (cf. Lobeck. ad Ajac. p. 352) et obscure quidem sed recto sensu ut videtur Lübkerus p. 29: „der (scil. Pluto) — von Niemandem geliebt wird, wenn auch vielleicht der Ausdruck der Weisen des Hades —, der von den Gesängen der Sirenen gebraucht wird, nicht die verführerische Natur des Hades, sondern nur einfach die Wirkung des Todes bezeichnen soll.“ (Legendum conjicio pro „wenn auch“ warum auch. Aliter sana sententia non effici videtur.) Quamquam vocabulo Ἅιδου verisimile est ipsum significari deum, qui vel auctor vel doctor sit vel nescio quis. — Cf. idem p. 30: „Beide (die abstracte und concrete Redeweise) berühren sich recht nahe Ant. 573 und 579. Dort wird der Hades, der das Opfer des Todes der in Kreons Augen schuldigen Antigone fordert, die Ehe zwischen ihr und Hämon beseitigen, und gleich darauf heisst es: sie sehen den Hades (Tod) schon dem Leben nahen.“

Nec ea diligentia, qua opus erat, singulos locos percensuisse mihi videtur. Qua diligentia si usus esset, intellegeret, hunc deum quamvis sibi inimicum et horrendum habeant ii, quibus aut ipsis vivere cupientibus moriendnm sit, quem dolorem eo mitigare conatur Antigona, tenella puella, quod cum ipsius dei maris asperam et delicatum sensum virginis, egregio juveni desponsae, et omnino omnium hominum, quicunque vitae oblectamentis tenentur, laedentem naturam juste exhorrescat, ad Proserpinam feminam tendat, sexus sociam et quasi familiarem, quam speret misericordem fore et humanam[24]), aut alterius, quem salvum esse velint, et servatum piis erga deos animis laetentur (Trach. 120 ἀλλά τις θεῶν αἰὲν ἀναμπλάκητον Ἅιδα σφε δόμων ἐρύκει), obitum lugeant[25]) (cf. Ajac. 607 κακὰν ἐλπίδ' ἔχων ἔτι μέ ποτ' ἀνύσειν τὸν ἀπότροπον ἀίδηλον Ἅιδαν, Antig. 810, (804), 833. — Antig. 1240 κεῖται δὲ νεκρὸς περὶ νεκρῷ τὰ νυμφικὰ τέλη λαχὼν δείλαιος εἰν Ἅιδου δόμοις, 1284, Ajac. 517. El. 137, 183[26]), 463, 832, 949, Oed. Col. 1689, (El. 542), cf. Ajac. 1214, (1035); omnino Oed. Reg. 29, 30), ut nonnumquam nihil laeti nec ullum remedium reliquum sit nisi mortuum subsequi ipsumque mori: Oed. Col. 1690, eundem tamen non modo aut simplici ratione nec ullo animi motu regem inferorum appellari Trach. 501, ubi Venus totum mundum vi sua complecti et summos deos ad nutum suum flectere dicitur, imminuta veneratione et pari ceteris diis honore affectum Oed. Col. 1559 et 1573,

[24]) Nihil difficultatis in hoc loco neque interpretes senserunt neque Petersius nihil adnotans nisi: „mortuorum catervas recipit Ant. 894“, quod quamquam Oed. Col. v. 1548 comprobari videtur, tamen non valet ad hujus loci rationem satis explicandam; nedum Lübkerus, qui egregia enarratoris fide hoc refert: „Sie hat auch, wie Antigone sagt, schon den grössten Theil der Todten aus ihrer Familie bei sich aufgenommen,“ quamquam hoc vitium inest, quod de inhumato Polynice cogitat, quem apertum est ex v. 899 jam apud inferos versari Antigonae visum esse.

[25]) Ad tale aliquid pertinere videtur Jobat. fr. 275. ap. Stob. Flor. 119, 6: τὸν Ἅιδαν γὰρ οὐδὲ γῆρας οἶδε φιλεῖν.

[26]) Cohaeret proximum illud vs. 180 τὰν Κρῖσαν βούνομον ἔχων ἀκτὰν παῖς Ἀγαμεμνονίδας opposita fecundae, laetae, luxuriosis ac virentibus floribus abundanti orae vivorum sterili exitiosae tristi mortuorum vel potius intima ratione ac necessitudine statuta, cum uterque alterum adjuvet augeatque et causam ejus ad se ipsum pertinere reatur.

Trach. 1097, Antig. 542; cf. Aj. 660, 865, El. 1342, Trach. 282, 1161, Philoct. 861, Antig. 780, 911, aut severum principem ac judicem laudari: J.F. 699 ap. Clem. Alex. Strom. II. p. 494 εὖ γοῦν ἡ τραγῳδία ἐπὶ τοῦ Ἅιδου γράφει· πρὸς δ' οἷον ἥξεις δαίμον' (ὡς ἔρωτα?), ὃς οὔτε τοὐπιεικὲς οὔτε τὴν χάριν οἶδεν, μόνην δ' ἔστερξε τὴν ἁπλῶς δίκην. (Cf. Plut. Mor. p. 761. F (Amator. c. XVII)), Antig. 519, (778), Oed. Col. 1565, et humanae naturae necessitate plane excusari et probari omni dubitatione remota: Trach. 4., Oed. Reg. 1372, Ajac. 571, Phil. 449 et 624, Antig. 362, (777—780), sed etiam cum amore et desiderio invocari et excipi, quibus vita jam non sit vitalis: Trach. 1085, 1173, Phil. 1211, 1349, Oed. Col. 1461, 1552 (qui loci de Oedipo sunt, qui mortem ut praemium a diis accepit) (alia mysticae doctrinae ratio: J. F. 753. ap. Plut. Mor. p. 21. F. (De audiendis poetis c. IV.)), (cf. Oed. Col. 1689, Ajac. 635 (Ajac. 397, Oed. Col. 435); alia ratio est Antig. 822), et, ut ipse divitiarum largitor perhibeatur: Inach. sat. fr. 252. ap. schol. Arist. Plut. 727. et fr. 263 ibd.[27]), ita domum ejus caram esse hominibus habitatorum causa aut cum gaudio aut cum maerore superstitum: Oed. Reg. 972, cf. Antig. 575, 654, (Oed. Col. 1389); Electr. 110.

Haec, ut interim de ipso Sophocle taceam, cujus sententia non difficilis erit ad dijudicandum, hominem doctissimum docere debebant, non praesumptis opinionibus enarrationem theologicam niti oportere neque neglegendam fuisse naturam dei latissime patentem et multos variosque animi motus moventem in hominibus extremo fato obnoxiis nec pauciores quam mortis et ex vita decessus speciem. Omnia enim in ipsius vitae relinquendae notione vertuntur apud Sophoclem, cum et poenarum infra dandarum opinio absit nec ulli terrores ibi futuri sperentur[28]).

[27]) De Antig. 1200. cf. Welcker. gr. th. I. pag. 392: „Sophokles und Euripides nennen Pluto schon euphemistisch den Hades."

[28]) Quidquid igitur mali a diis in homines statuitur, vivis accidit, summum autem supplicium capitis est, ut ipsius mortis quasi sedes apud inferos sit, discrimina vero et gratiae vel bonorum vel malorum ipso vitae spatio contineantur. Ut enim instituto quodam divino certa diis ultionum perficiendarum assignata erant tempora, quibus peractis post placatam et rite expiatam iram pax restitueretur, ne perpetuo dei animus iratus remaneret neve justae poenae persolvendae gratia

Haec habui, quae de minoribus diis dicerem, eos dico, quorum singulis singula munera tributa sunt, quibusconcepta invidia altius in moribus desidens et inveterata in humilem ac quasi illiberalem intemperantiam abiret — quis nesciat Horatium de Apolline dicentem non semper arcum tendente et irae dedito? — (cf. Antig. 162, Electr. 916—919, Oed. Col. 383—386, 394, 1565—1567.), ita et Minerva per certum dierum numerum Ajacem petivit, cujus seriei ultimus dies is est, quo fabula agitur (cf. 752—757, 778, 779, 782, 783 etc.), et Furiae divinis legibus humana injuria violatis ad eum finem satisfaciunt, ut flagitiis recondendis solisque caelesti lumine arcendis laesam sanctitatem expient. Non tam igitur crudelibus peccatorum cruciatibus nedum post mortem perpetiendis gaudent, quam, ut damno reparato divina ira in favorem reconcilietur, curant (De qua excultiore ratione digna, quae legantur, habet Lübkerus pag. 51—53, ad pag. 53 adnotandum est Electrae fabulam ad homericam poesim propius accedere et quasi epicos mores habere.) — Ne de Cerbero quidem recte judicari video. Interpretes enim in eo errarunt, quod Cerberum molestum esse advenis putant, quod mirum esset, cum potius salutandi sint hospites libenter excepti a domino. Et vero alia est species, quam ipse poeta proposuit. Nam quod σῶμα ἀνικάτου θηρός, ἀδάματος φύλαξ vocatur, cognomina sunt naturam ejus honorifice exornantia, cum ei quasi nuntietur Oedipi futurus adventus. Egreditur autem ex antro suo i. e. tugurio ac cubili ostio adjacente, ubi quis in domum intravit, salutandi causa mussitans et blande caudam movens, cum vero rursus exire conatur, magno latratu et feroci impetu prorumpens non patitur, nisi quis alter Hercules sit, cui tantum aberat, ut itineri officere posset, ut ipse auferretur Trach. 1097 (ἀπρόςμαχον τέρας) (Herc. epitaen. satyr. fr. 211. ap. Ath. IX. pag. 375.) Valde igitur dubito de benevolentia Oedipo prae ceteris adhibenda, quam dicit Nägelsbachius nachhom. Theol. p. 412: „Selbst der Chor, der — die Mächte der Unterwelt für ihn anruft, erbittet ihm nur einen leichten schmerzlosen Tod, die εὐθανασία und Schonung von Seiten der Erinyen und des Cerberus." (quod enim Cerberum dixi nuntium accipere futuri adventus, id non minus ad Eumenidas pertinet (χθονίας θεάς). Nec satis diversas locorum rationes respexisse videtur Lübkerus de Plutone dicens: „von allen Attributen der Schreckensgewalt umgeben. — In seiner Nähe wacht an der reich geglätteten Pforte sein dreiköpfiger Hund, das nicht zu bekämpfende noch zu besiegende Unthier, die Brut der schrecklichen Echidna, und knurrt aus seiner Höhle heraus als der unbezwingliche Wächter (Tr. 1077 f. O. C. 1551 ff.)." Longum est autem singula interpretum de illis Oedipi Colonei versibus commenta percensere. Hoc unum dico, optime nuper de loco corruptissimo emendando meritum esse Augustum Nauckium pro ὅν vs. 1574 probabiliter conjiciens δός. Ipsius verba addere libet: „ἐν καθαρῷ βῆναι kann nur bedeuten auf freier Bahn wandeln, durch keinerlei Hindernisse gehemmt sein. Hiernach scheint ὃν, was sich auf den Kerberos beziehen würde, unrichtig zu sein. Vielleicht δός, ὦ Γᾶς παῖ καὶ Ταρτάρου, κατεύχομαι, ἐν καθαρῷ βῆναι." In qua egregia conjectura interim acquiescere libet.

cum muneribus ita in unum coaluerunt, ut quamquam etiam aliarum rerum potentes sunt et praecipue averruncam vim exercent, nisi natura minus ad id apta sit, tamen in universum ab iis disjungi non possint, et partes ipsorum naturaeque summa iis contineantur, qua re differunt a majoribus, quorum singulae partes latiores sunt et infinitam quandam potentiam complectuntur.

Alia res est in iis diis, qui a communibus notionibus ad divinam dignitatem elati sunt, ut Gratia, Suada, Iustitia, Themis, Ὅρκος (Jurandispex), Exsecratio, Misericordia (Αἰδώς), Victoria. Nam praeter divinam naturam principales vocabulorum significationes permanent, Audiendus est de hac re Nägelsbachius nachhom. Theol. pag. 94: „Was Gott heisst, ist nichts als eine andauernd wirksame Potenz. Wenn es diese Gottheiten auch allmählich durch die Kunst zur Gestaltung, ja durch besondere Veranlassung zu einem Kultus bringen (Εἰρήνη, Φήμη, Δίκη, Εὐνομία und Αἰδώς), so doch niemals eigentlich selbstständige Wesen und existiren nur, wo sich dasjenige vorfindet, was sie bedeuten." Quae divina vis, omni humanae naturae auctoritate superior et plane per se constans, in legibus illis Olympo natis inesse dicitur ipso dei (numinis) nomine appellata: μέγας ἐν τούτοις θεὸς οὐδὲ γηράσκει. Haec enim opposita sunt illis: οὐδέ νιν θνατὰ φύσις ἀνέρων ἔτικτεν οὐδὲ μήποτε λάθα κατακοιμάσῃ, Oed. Reg. 870. — Exsecrationes autem cum sint et verba devoventis et deae verba ad effectum adducentes, medium quoddam significatur Oed. Col. 1376. τοιάσδ' ἀρὰς σφῷν πρόσθε τ' ἐξανῆκ' ἐγώ, νῦν τ' ἀνακαλοῦμαι ξυμμάχους ἐλθεῖν ἐμοί — τοιγὰρ τὸ σὸν θάκημα καὶ τοὺς σοὺς θρόνους κρατοῦσιν., quod neque in solis verbis consistat neque ad ipsas deas, quarum mentioni hic non jam locus erat, pertineat, sed viam praemonstret, qua mens humana a communibus notionibus ad deos fingendos perveniat. —

In talibus personarum vel deorum fictionibus externas formas cum maxime ad notiones ipsas accommodatas esse volunt et quodammodo ingenia manifesta facere causasque in apertum proferre. Ut igitur Minervae Venerisque naturas in Crisi satyrica poeta expressit: Athen. XI. pag. 687.

C.: Σοφοκλῆς δὲ ὁ ποιητὴς ἐν Κρίσει τῷ δράματι τὴν μὲν Ἀφροδίτην ἡδονικήν τινα οὖσαν δαίμονα μύρῳ τ' ἀλειφομένην παράγει καὶ κατοπτριζομένην, τὴν δ' Ἀθηνᾶν φρόνησιν οὖσαν καὶ νοῦν, ἔτι δ' ἀρετὴν ἐλαίῳ χρωμένην („f. χριομένην" Nauck.) καὶ γυμναζομένην., Furiis aeneos pedes tribuit El. 491 (cf. δεινόπους Ἀρά Oed. Reg. 418), et Furiarum et Minervae mores in ore ac visu posuit (Oed. Col. 84 ὦ πότνιαι δεινῶπες, — Reg. 188 ὦ χρυσέα θύγατερ Διός, (quod ad oris praestantiam et lumina caelesti quadam luce fulgentia pertinet bene conveniens cum eo, quod sequitur, opis ferendae cognomine, εὐώψ) Ajac.450 γοργῶπις (quod cum in universum ut severitatem ita fortitudinem prudentiamque indicet, hoc quidem loco torve tuentem et crudelem significat), Oed. Col. 706 γλαυκῶπις), ita Iustitia, ut recte possit suo munere perfungi et justitiae species absolvatur notaque quaedam addatur, acerrima oculorum acie praedita est (Aj. Locr. fr. 11 ap. Stob. Ecl. I, 3. 37 pag. 124 τὸ χρύσεον δὲ τᾶς Δίκας δέδορκεν ὄμμα, τὸν δ' ἄδικον ἀμείβεται: τὸ χρύσεον ὄμμα fulgidum ac lucidum os significat, id autem acris visus est, cum languidi oculi nec refulgentes non magnam vim habere videantur), Suada autem, ut oculi orationem adjuvent et, quid ipsa sit, vultus patefaciat, δεινὸν πρόσωπον habere dicitur (J. F. 780 ap. Plut. Mor. pag 854 F.), quo omnia vincat ac domet, Jurandispicis acutissimus auditus praedicatur (Oed. Col. 1767 ὁ πάντ' ἀίων Διὸς Ὅρκος). Victoria autem non solum ipsa dea est, sed etiam, quod abstractum, quod dicitur, nomen est, majoris deae laus et cognomen fit, ut alia ratione Ceres genuina vocabuli significatione revocata Ἐρινύς appellatur (Phil. 134. Νίκη Ἀθάνα).

Omnino in divinam speciem transfertur, quidquid tantam naturae suae vim et absolutionem habet et suo modo animos humanos contingit ac movet, quae consecratio conjuncta esse videtur cum certis quibusdam personarum condicionibus et gravitate verborum aut cum vulgari opinione et aetatis studio (ut Eurip. Aeol. fr. 20. ap. Stob. Flor. 93, 9. μὴ πλοῦτον εἴπῃς. οὐ γὰρ θαυμάζω θεόν, ὃν χὡ κάκιστος ῥᾳδίως ἐκτήσατο). Itaque p r u d e n t i a magna dea dicitur, quae, quoscumque amat, ad res prudenter agendas dux est: J. F. 837 ap. Stob. Flor. 3, 14: ἀλλ' ἡ φρόνησις ἀγαθὴ θεὸς μέγας: verum

prudentia, bona dea, magna ac potens est. Cena: Triptolem. fr. 544 ap. Hesych. I. pag. 877: ἦλθεν δὲ δαὶς θάλεια πρεσβίστη θεῶν. Pestilentia Oed. Reg. 27: ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς σκήψας ἐλαύνει, λοιμὸς ἔχθιστος, πόλιν. Tempus a choro Electram consolante et bona sperare jubente vs. 178 χρὸνος γὰρ εὐμαρὴς θεός, qui labores minuat et medicinam adhibeat. — Non rectissime autem, ut mihi videtur, Petersius p. 75: „et fortasse Εὔσοια, Ahrens p. 340, b.“ (i. e. secundum nauckianum numerum fr. 119. Amphitruon. ap. schol. Oed. Col. 390. εὔσοιαν δέ φασι τὴν εὐθένειαν, καθάπερ καὶ ἐν Ἀμφιτρύωνι· ἐπεὶ δὲ βλάστοι, τῶν τριῶν μίαν λαβεῖν εὔσοιαν ἀρκεῖ). „Quidni enim tres deas, salutem afferentes, cogitatione fingamus?“ Imo quis sicubi scriptum fuerit hoc: salus viget ac floret, salutem ipsam, quam capiant, ut possideant, deam esse censebit? Alterae enim res quin sunt velut divitiae et gloria? Ut autem dicam, quod sentio, in ipso loco nihil inesse videtur necessitatis, ut illam arbitrariam apotheosin probemus, quamvis per se ipsa non sit inepta. — Nec minore jure homo, qui et summae in alios potentiae atque arbitrii et benignitatis ac misericordiae speciem praebet vel egregia felicitate et statu, qui communi sorte superior est, utitur, cum deo comparatur: Oed. Col. 247 ἄντομαι —, inquit Antigona, τὸν ἄθλιον αἰδοῦς κῦρσαι· ἐν ὔμμι γὰρ ὡς θεῷ κείμεθα τλάμονες· ἀλλ' ἴτε νεύσατε τὰν ἀδόκητον χάριν. Nioba autem propter expleti desiderii summam felicitatem continentis exemplum, quod admirationem et votum moveat, divino honore colitur ab Electra 150: ἰὼ παντλάμων Νιόβα, σὲ δ' ἔγωγε νέμω θεόν, ἅτ' ἐν τάφῳ πετραίῳ αἰαῖ δακρύεις [29]).

Alia res est in Sole et Tellure (cf. Antig. 338: θεῶν τε τὰν ὑπερτάταν, Γᾶν ἄφθιτον ἀκάματον, ἀποτρύεται ἰλλομένων ἀρότρων ἔτος εἰς ἔτος, ἱππείῳ γένει πολεύων), cum dubium videri possit, quem potius et prius nomen significet, deum an sidus et terram, in qua pedes ponimus, i. e. rem, quae ipsa et sola gravitate sua et magnitudine ad deum fingendum ansam de-

[29]) Mitto simplices prosopopoeias, ut temporis, cujus latissimae partes apud Sophoclem sunt, somni, doli, invidiae, spei, famae et ad vivos et ad mortuos proficiscentis, arctus Philoctetae, securis Pelopidarum.

dit, numquam tamen res ipsa, quae per se constat, deum superet occupetque, verum etiam ut administra divinae, quae inest et imperat, naturae vim referat. (Cf. Lehrs., populäre Aufsätze aus dem Alterthum, pag. 98). Quare non potest recte dictum esse illud Ter. fr. 520 ap. schol. Hom. O. 705. "Ηλιε φιλίπποις Θρῃξὶ πρέσβιστον σέλας et probabiliter conjecit Fridericus Bothius σέβας, cum recte dicatur, quod Oed. Reg. 1418 legitur τὴν — φλόγα Ἡλίου, nec quod unum et solum est, ceteris, nescio quibus, praestare queat.

In majoribus diis singulae latius patentis imperii partes in certas notiones commutari ac deflecti possunt, ut Iupiter gentilitatis tutor in ipsam propinquitatem Antig. 487 ἀλλ' εἴτ' ἀδελφῆς εἴθ' ὁμαιμονεστέρας τοῦ παντὸς ἡμῖν Ζηνὸς ἑρκείου κυρεῖ, αὐτή τε χἡ ξύναιμος οὐκ ἀλύξετον μόρου κακίστου. Intellegitur Iupiter cum omnibus propinquitatis partibus tum intimae tuendae praefectus et omne vinculum colligans. Neque enim huc pertinet id genus, quod est apud Pindarum J. IV, 14 μὴ μάτευε Ζεὺς γενέσθαι. = O. V, 24 μὴ ματεύσῃ θεὸς γενέσθαι (cf. Oed. Reg. 421 Ποῖος Κιθαιρὼν οὐχὶ σύμφωνος;). Omnino enim cavetur ne latius genus in arctiorem locum coactum obscuritatem habeat et errorem. Quamquam in illo Antigonae loco ratio habenda est personae loquentis et videndum, quo statu ac qua condicione persona utatur. Impetuosus enim et inconsideratus sermo est magnis verborum luminibus exornatus Creontis gravem perversitatis et impietatis suae poenam daturi. Cf. 1040 (Schneidewin. ad h. l.). Neque sophoclea videntur talia, qualia Vergilius habet Buc. ecl. VII., 60. „Iupiter — laeto descendit plurimus imbri" (vid. Th. Ladewig. ad h. l.) vel ibd. III, 104. „Dic et eris mihi magnus Apollo."

Cetera propter temporis angustias in futurum differo.



VITA.

Natus sum Aemilius Maximilianus Augustus Heubach Prutenus Saalfeldensis a. d. VIII. id. mart. a. MDCCCXLIII patre Augusto Adolpho, causarum actore et notario publico, matre Guilielma, quae e gente Maurach orta est, quorum utrumque per dei gratiam colo superstitem. Prima igitur, quam dicunt, literatura imbutus et elementa linguae latinae edoctus novem annos natus in quintam classem gymnasii Brunsbergensis traductus sum, quod tum florebat rectore Ferdinando Schultzio, viro doctissimo et humanissimo, qui nunc monasteriensis gymnasii gubernaculum tenet. In qua schola, fide protestantica educatus, classicam, quam dicunt, antiquitatem amare coepi, ita ut, cum post octo annos in eo esset, ut in academiam migrarem, in nullam aliam disciplinam incumbere voluerim. Rectore igitur celeberrimo et ornatissimo J. J. Braunio mense sextili a. 1860 *maturitatis testimonio accepto dimissus ejusdem anni auctumno hanc almam matrem petii et a pror. magnif. A. Haynio, quem nuper obiisse nemo non luget, in numerum civium academicorum receptus apud ordinis philosophorum amplissimi decanum spect. J. C. Glaserum nomen professus sum. Hic cum per quattuor semestria versatus essem, nova cognoscendi fervore quodam stimulatus Berolinum transvectus a rectore magnifico G. C. Ch. Beselero numero civium universitatis fridericae guilielmae adscriptus a decano spectabili C. Müllenhoffio in album philosophicum relatus sum. Quo loco imprimis Mauricii Hauptii nec non Augusti Böckhii, Aemilii Hübneri, Theodori Mommsenii, Adolphi Trendelenburgii doctrina et scholis per duo semestria fructus sum,*

quibus peractis ad Albertinam lubenti animo reversus pror. magnif. F. D. Sanione, dec. spect. G. H. F. Nesselmanno per unum semestre grammaticas scholas frequentavi.

Omnino in hac academia me docuerunt hi viri: professores illustrissimi philologi K. Lehrsius, Ludovicus Friedländer, Th. Herbstius, philosophi Carolus Rosenkranz et dr. doct. Friedrichius, historici F. G. Schubertius et Guilielmus de Giesebrecht.

Seminaria philologica neutro loco neglexi; praeterea exercitationibus, quas Trendelenburgius moderari solet, non sine studio et diligentia interfui.

Quibus viris omnibus nec non iis, a quibus in schola brunsbergensi eruditus sum, gratias ago quam maximas et gratum animum semper servabo.


3 0112 115883206